QUÆSTIO DE STIPENDIO MISSÆ,

ELABORATA

A R. P. M. FR. IOANNE BAPTISTA SICARDO, ORDINIS Sancti Augustini, Catholicæ Maiestatis Concionatore, Tribunalis Nuntiaturæ in Hispaniarum Regnis Theologo, & Examinatore, olim sui Regalis Collegij apud Complutenses Sacræ Theologiæ primario, & in Cœnobijs Segouiensi, Salmanticensi, & Burgensi Priore:.

ILLVSTRISSIMO, AC LITTERATISSIMO D. DOCT. D. IOANNI FERDINANDO de Frias & Toledo, in hac Curia Matritensi Visitatori.

MATRITI, ANNO M.DC.LXXXXII.

NOBILISSIMO, ET LITTEratiſsimo D. Doctori D. Ioanni Ferdinando de Frias & Toledo, Magiſtralis Complutenſis Eccleſiæ Præcentori, à Conſilijs Regiminis Eminentiſsimi Domini Cardinalis Archi-Præſulis Toletani, olim in Complutenſi Ditione Vicario Generali, nunc vero in Matritenſi Curia vigilantiſsimo Viſitatori.

NON *Adulationis arriſionem, ſed correctionis profectum quæro, ſi enim* Melius eſt (*verba ſunt Salomonis*) à ſapiente corripi, quàm ſtultorum adulatione decipi; *Iure tuæ Sapientiſsimæ Dominationi quæſtionem hāc offero. Te ergo ſanctiſsimè Sancta pertractantem, & Viſitatoris apud Curiam Regiam, & Vicarij Generalis in Complutenſi Ditionis Munia, vt par eſt obeuntem, hoc præſens Sanctiſsimi Fidei noſtræ Myſterij ſtipendij Opuſculum petit, & appetit. Petit vt corrigas, appetit vt emendes.* Eum elige Doctorem,

rem (*ait Seneca*) quem magis admireris cum videris, quàm cum audieris. *Meritò de te decantare licet, quod de Salomone Regina Saba proclamauit* : Maior est sapientia, & opera tua, quàm rumor, quem audiui. *Vbique tua sapientia fama teste laudatur; illa maior, minor hæc. Rectitudo tua in iudicijs, nec gratia flectitur, nec pecunia corrumpitur; pauperum causas cum instantia promoues, & in illis cum mansuetudine dispensas. O laudabilem virum! qui nec voluntate iudicas, nec cupiditate absoluis. Merita causarum attendis, non personarum; iura, non munera; non quod libet, sed quod licet. Dominatio tua ex perillustri stirpe (vt ipsa præseferunt nomina) ad maiora semper nata, ad maxima perpetim apta, per totum mirantem Orbem, cæteros antevertens post se stupefactos relinquit: nolo te laudibus cruciare, gratis igitur vlnis Quæstiunculam hanc excipe, & fausta viuas sæcula.*

3. Reg. 10.

Dominationis tuæ amantissimus seruus,

M. Fr. Ioannes Baptista Sicardo.

Vtrùm

Vtrùm Sacerdos pro pluribus stipendijs acceptis posit vnum Sacrificium offerre, illoque satisfacere?

1 DE Hac materia (circa quam ab aliquibus his diebus interrogatus fui) agunt plurimi Theologi, diuersimodè tamē, & meritò: tùm propter declarationem, seu Decretum Sacræ Congregationis Eminentissimorum DD. Cardinalium authoritate Sanctis. Dom. nostri Vrbani VIII. editum, & promulgatum anno 1625. tùm etiam, quia Sanctis. Domin. nost. Alexander Septimus hanc damnauit propositionem: *Non est contra iustitiam pro pluribus Sacrificijs stipendium accipere, & Sacrificium vnum offerre*; Declarans prædictam opinionem (sicut & alias in Decreto promulgato die 2. Octobris anno 1665. de quo infra) tanquam Christianæ disciplinæ relaxatiuam, & vt minimum scandalosam, esse damnandam, & prohibendam, eamque damnat, & prohibet, vt latius in prædicto Decreto continetur.

Igitur quæsitum prædicti dubij ex multis pendet, & ad eius intelligentiam nonnulla necessum est præmittere.

2 Præmitto primò licitè à Sacerdotibus pro celebrandis Sacrificijs stipendia accipi posse, dummodò nō sint accepta tāquam pretium mercedis, sed tanquā stipendium necessitatis pro illorum sustentatione; hæc est mens omnium Doctorum, & expresè hanc doctri-

ctrinam tradit D. Thomas 2. 2. quæſt. 100. art. 2. in corpore, vbi ait: *Accipere autem aliqua ad ſuſtentationem eorum, qui Sacramenta Chriſti miniſtrant, ſecundum ordinationem Eccleſiæ, & conſuetudines approbatas, non eſt Simonia, neque peccatum: non enim ſumitur tanquam pretium mercedis, ſed tanquam ſtipendium neceſsitatis.* Ita Gaſpar Hurtado, tom. de Sacram. tract. de Sacrific. Miſſæ, diſp. 4. Vazq. in 3. part. quæſt. 83. artic. 6. diſp. 234. cap. 1. num. 2. noſter Aragon, 2. 2. tract. de iuſtit. & iur. quæſt. 85. art. 3. fol. 609. Dubal, tom. de Sacrament. cap. 4. diſput. 3. dub. 7. fol. 87. Suarez, tom. 3. in 3. part. quæſt. 86. & omnes alij de hac materia agentes, quos ſuperfluum eſſet referre.

3 Præmitto ſecundò, Sacerdotes diuites poſſe etiam ſtipendia pro celebratione Miſſarum accipere, ita communitèr Doctores, quia Sacerdoti miniſtranti (quicumque ille ſit) debetur ex iuſtitia ſtipendium, iuxta illud Pauli 1. ad Corinth. cap. 9. *Quis militat vnquam ſuis ſtipendijs?*

4 Præmitto tertiò ſtipendia iuſta Miſſarum poſſe ſolummodò à Summo Pontifice, ſeu Epiſcopo taxari, & hac lege deficiente, illud erit iuſtum ſtipendium, quod communi conſuetudine ſit receptum. Etenim ad nullum alium ſpectare poteſt taxatio ſtipendij, niſi vel ad Papam, vt caput totius Eccleſiæ, vel ad Epiſcopum in ſua Diæceſi, vel his deficientibus, ad communem conſuetudinem, vt dictum eſt: difficultas ſolum ſtare poterit, an Epiſcopus poſsit extra Synodum aſsignare ſtipendia pro Miſſarum celebratione? Partem affirmatiuam tenent Suarez, tom. 3. in 3. part. diſp. 86. ſect. 2. Tamburin. de Sacrific. Miſſæ, libr. 3. cap. 1. num. 95. Dubal, vbi ſupra, & alij: ſed hoc dubium parum, aut nihil ad præſens perti-

pertinet. Conſultò dixi, quod deficiente lege de hac taxatione, ſtandum eſt communi conſuetudini, quia vt ait Suarez, *Deficiente hac lege, eſt via cenſendi, ſeu iudicandi iuſta pretia rerum.*

5 Præmitto quartò, non ſolum Sacerdotes Sæculares, verumetiam & Regulares debere ſe confirmari taxationi ab Epiſcopo aſsignatæ, quia in hoc ſunt eius ſubditi, & tenentur tali legi obedire. Ita communitèr Doctores, & nouiſsimè Fr. Antonius ab Spiritu Sancto in Director. Regul. tom. 1. tractat. 2. diſp. 2. ſect. 4. num. 190. ibi: *Dico primò Regulares nullomodo poßunt accipere pro Mißa, niſi vnum ſtipendium, & ſecundum taxam Epiſcopi.* His breuitèr præmiſsis, ad reſolutionem ergo præſentis dubij progredior.

6 Circa quod duplex eſt ſententia; prima ait, Sacerdotes, qui aliàs non habent vnde ſuſtententur, poſſe accipere tot ſtipendia pro vna Miſſa, quot ſufficiant ad integram eorum ſuſtentationem, ita Cano, lib. 1. de locis, cap. 13. Soto, lib. 9. de iuſt. & iur. quæſt. 3. art. 1. in fine, noſter Aragon, 2.2. quæſt. 85. art. 3. Nunus, tom. 1. quæſt. 83. art. 1. dub. 9. Ledeſma, tom. 1. tract. de Euchar. cap. 18. quos refert Dubal vbi ſupra; qui Authores multa dicunt, vel ampliando, vel limitando prædictam ſententiam, quæ pro nunc omittimus, tanquam quid ad præſens quæſitum impertinens, dummodò affirment poſſe Sacerdotem vltra vnum ſtipendium accipere aliud pro vna Miſſa.

7 Secunda ſententia oppoſita defendit, nullomodo licère Sacerdotibus, ſiue Sæcularibus, ſiue Regularibus, quantumuis pauperes ſint (excipitur caſus extremæ neceſsitatis) accipere plura ſtipendia pro pluribus Sacrificijs, & vnum pro illis offerre, ſiue ab

vna

vna persona, siue à diuersis, dummodò sint stipendia secundum taxationem iuxta leges Ecclesiasticas, vel illis deficientibus, iuxta cõmunem consuetudinem, ita Nauarr. tom. 1. cap. 25. num. 92. Emmanuel Rodrig. tom. 1. qq. regul. quæst. 44. art. 16. Gasp. Hurtad. tom. de Sacrament. tract. de Sacrific. Miss. disp. 4. dif. 15. Suarez, tom. 3. in 3. part. disp. 86. sect. 4. Diana 2. part. tract. 3. resol. 8. Donatus praxis regul. tom. 3. tract. 7. quæst. 42. & 48. Villalobos, tract. 8. dif. 16. Vazquez, tom. 3. in 3. part. quæst. 83. disp. 234. cap. 3. Remigius in sum. tract. 5. cap. 4. Dubal, tom. de Sacram. cap. 4. disp. 3. dub. 7. Anton. Cordub. lib. 1. quæst. 4. dub. 2. qui pro hac sententia citat Ioannem de Medin. Bonacin. tom. 1. fol. 99. & plures alij ab Authoribus relati, præcipuè qui post Decretum Sacræ Congregationis approbatum ab Vrbano VIII. & Alexandri VII. de hac materia scripserunt.

8 Nostra conclusio, tanquam vera, & in praxi secura, quæ sequi debet, sic se habet: *Nequit Sacerdos, etiam si pauper sit* (seclusa extrema necessitate, de qua non loquimur) *applicare vnum Sacrificium pro pluribus stipendijs, & consequentèr non potest duplex accipere stipendium pro duplici Missa, & vnam tantùm celebrare.*

9 Cum veritas, & certitudo huius conclusionis ex pluribus capitibus probãda sit, necessum est ea sigillatim (vt confusionem fugiamus) proponere. Prima igitur, & efficax ratio desumitur ex capite contractus, qui interuenit inter fidelem eleemosynam dantem, & Sacerdotem illam accipientem; & ita efformo discursum: Quando adest contractus in materia graui, aliàs licita, & honesta, est obligatio sub mortali adimplendi illum; sed inter fidelem dantem stipendium iustum

pro celebratione vnius Missæ, & Sacerdotem illud recipientem adest contractus in materia graui, licita, & honesta; ergò est obligatio sub mortali adimplendi illum. Consequentia tenet, maior est certa; etenim vbi est vnus, qui dat, & alter, qui recipit ad aliquid faciendum, interuenit ex parte dantis intentio obligandi alium, & ex parte recipientis acceptatio huius obligationis, quibus positis, necessariò consurgit obligatio adimplendi talem contractum; & si fuerit in materia graui, licita, & honesta, erit sub mortali: aliàs nunquam oriretur obligatio iustitiæ ex aliquo contractu, quòd falsissimum est. Minor sic probatur: fidelis, qui stipendium confert Sacerdoti pro dicenda Missa, agit cum illo hoc pactum: Do tibi stipendium, vt pro me, vel pro mea intentione Sacrificium offeras; & Sacerdos per receptionem illius stipendij, saltem virtualitèr acceptat (& multoties expressè) & consentit tali pacto: nàm vt ait Suarez vbi supra, & communitèr Authores, sine huiusmodi pacto interueniente inter Sacrificantem, & stipendium conferentem, non potest intelligi quomodo oriatur, aut oriri possit obligatio ex iustitia: ergò adest contractus verus, & consequentèr producitur ex illo vera ratio iustitiæ, fundata in mutuo consensu ex vtraque parte oneroso: quòd autem sit in materia graui, licita, & honesta, indubitatum est.

10 Sed dices, ad valorem contractus non sufficit signum externum consensus, si aliàs consensus internus deficit, quapropter plures Theologi tenent, consensum internum necessarium esse ad valorem, & obligationem contractus, de quo plures tractant, & nouissimè Doctissimus P. Moya in suis select. tom. 2. disp. 1. miscel. de iust. quæst. 1. vnde aliqui consequentèr asserunt, promittentem absque animo se obligan-

gandi, non manere obligatum, quòd quidem in casu præsenti contingere potest: nàm si Sacerdos recipiens stipendiũ duplex, pro duplici celebrando Sacrificio, nõ sit in animo se obligandi ad illa duo celebranda, non tenebitur ex iustitia orta ex contractu illa celebrare, propter defectum consensus interni: ergò etiam si exterius recipiat Sacerdos plura stipendia, non benè ex hoc arguitur obligatio offerendi plura Sacrificia.

11 Contra. Etsi requiratur verus consensus internus ad valorem, & obligationem ortam ex contractu, quod ita concedo: tamen Sacerdos accipiens plura stipendia pro pluribus dicendis Missis, si eas non celebret, mortalitèr peccat, teneturque ad restitutionem, quod sic ostendo ex doctrina, quam tradit prædictus Magister Moya loco proximè relato, vbi duplicem proponit difficultatem. Prima est, an sit peccatum mortale contractum celebrare exterius absque vero consensu ad illius valorem requisito? Secunda, an qui consensum initio non præstitit, teneatur posteà præstare? Ad primam respondet affirmatiuè cum communi Doctorum sententia, cuius verba sunt hæc, *Quia in contractu illo ore tenus celebrato interuenit mendacium pernitiosum in graue detrimentum alterius, qui verè ex sua parte contraxit, & se obligatum reputans, caret libertate recedendi.* Quibus verbis loquitur de contractu vtrinque obligatorio. Ad secundam difficultatem etiam affirmatiuè respondit. *Quia* (inquit) *ille, qui ex parte sua adimpleuit contractum, eo ipso adquirit ius, vt alter adimpleat, & per consequens, vt verum consensum præstet, si anteà finxerit. Ita Læsius, libr. 2. cap. 10. dub. 3. dicens, esse communem sententiam Doctorum. Et Thomas Sanch. libr. 1. de matrim. disp. 10. num. 3. vbi loquens de fictè promittente matrimonium, & sub ea spe virginem desflorante, inquit, teneri eam ducere.*

cere, & probat, quia ex iustitia commutatiua tenebatur habere consensum, vt constat in omnibus contractibus, in quibus interuenit, do, vt des; facio, vt facias. Hæc, & alia prædictus Author.

12 Ex qua doctrina (mihi verissima) facilè diluitur argumentum in contrarium factum: nàm vel Sacerdos recipiens plura stipendia pro pluribus offerendis Sacrificijs, illa recipit animo se obligandi, & cum vero consensu interno, vel non. Si primum, datur verus contractus, obligatioque adimplendi illum. Si secundum, peccat mortalitèr, quia celebrat contractum exterius absque consensu ad illius valorem requisito, qui quidem contractus est vtrinque onerosus; & non habere consensum internum, est mendacium perniciosum in graue detrimentum alterius, & ex consequenti tenetur præstare posteà consensum, quem in receptione stipendij noluit habere, quia ille, qui ex parte sua (nempè fidelis conferens stipendia) adimpleuit contractum, eo ipso adquirit ius, vt alter adimpleat, præstando verum consensum. Et si argumentum aliquid probaret, probaret etiam Sacerdotem accipientem vnum stipendium, vel plura pro celebratione vnius, vel plurium Sacrificiorum, non teneri ad celebrationem, neque plurium, neque vnius Sacrificij, propter rationem in argumento traditam, scilicèt, quia in eo casu contingere posset, quod Sacerdos non esset in animo se obligandi ad vnum, vel plura Sacrificia celebranda, ac proinde non teneretur ex iustitia orta ex contractu illa celebrare propter defectum consensus interni, quod quidem falsissimum est.

13 Doctor Mostazo de causis pijs, tom. 1. libr. 2. cap. 3. agens de Clericis pauperrimis, & impeditis, quibus nullum subest remedium præter mendicitatem, quod quidem indecorum est, non solum illis, ve-

rum & ſtatui Clericorũ, ſentit cum Zerola, licitum eſſe Clerico pauperrimo applicare Miſſam pro ſtipendijs ad alendam vitam neceſſarijs, caſu quo talis Sacerdos (attende) proteſtaretur, dicens conferenti eleemoſynam, illam non ſufficere ad ſui ſuſtentationẽ, & quod orabit pro eo, tunc (ait prædictus Doctor) probabilis eſt ſententia Zerolæ: *Quia quando Sacerdos proteſtatur illud ſtipendium non ſufficere, & ille qui dat, non replicat, præſumitur ex voluntate dantis eleemoſynam, ſeu ſtipendium, magis ex titulo miſericordiæ præſtitiſſe, quàm præcisè ex titulo obligationis dicendi ſibi Miſſam.*

14 Proſequitur idem Doctor num. 13. *Si verò proteſtatio nulla fuiſſet, & dans ſtipendium, etiam ſi agnouiſſet Clerici paupertatem, & indigentiam, nec habere vnde alimoniam percipiat, det præcisè pro obligatione dicendi Miſſam, idque ſatis oſtenderit, tunc credo primam ſententiam* (illam, ſcilicèt, quæ negat minimè licitum eſſe accipere plura ſtipendia pro pluribus Sacrificijs, & vnum offerre prætextu ſuſtentationis Sacerdotis, etiam pauperrimi.) *admittendam eſſe ex vi obligationis, & pacti; aliàs dantem deciperet, quod minimè, etiam qualibet exiſtente neceſsitate, admittendum eſt.* Vide rationem efficacem huius ſententiæ, quæ conſiſtit in pacto, ſeu contractu inter conferentem ſtipendium, & illud accipientem: ſi ergò licitum eſſet Sacerdoti duplex ſtipendium recipienti pro duplici Sacrificio celebrando, ſatisfacere vnica Miſſa, licitum etiam eſſet decipere eleemoſynam dãtem; quod apertè falſum eſt, deinde quia, vt ait Donatus vbi ſupra, quæſt. 42. *Quia paupertas dicendi Miſſam, non tollit iuſtitiam alteri debitam*, quæ fundatur in contractu, ſeu conuentione facta inter dantem ſtipendium, & accipientem illud.

15 Vrgetur ratio in fauorem noſtræ concluſionis.

nis: Eadem est obligatio in Sacerdote ad offerendum Sacrificium pro fideli, ac est in isto promittente stipendium, ad illud solvendum; sed fidelis tenetur ex iustitia solvere illud, ergo etiam Sacerdos dum recipit stipendium pro celebratione Missæ, tenebitur ex iustitia illam celebrare pro illo, à quo tale stipendium recipit: maior est certa, vt de se patet, quia supponitur dari contractum æquè vtrique onerosum, & liberum: minor etiam constat, & pro eius intelligentia aduertendum est stipendium Missæ esse necessarium, & liberum fidelibus, diuersimodè tamen: voluntarium,& liberum *radicalitèr*, & *antecedentèr*, quatenus liberum, & voluntarium est fidelibus commendare Missas, vt pro illis, vel illorum intentione dicantur; necessarium *consequentèr*, & *ex suppositione*, quia postquam Sacerdos celebrat Missam, contrahunt fideles obligationem ex iustitia ad soluendum stipendium, ergo ex iustitia tenentur solvere illud: quare ergo Sacerdos non tenebitur etiam ex iustitia ad celebrandum pro stipendio accepto? Quod enim discrimen assignari potest, cum consensus sit ex parte vtriusque voluntarius *radicalitèr*, & onerosus *consequentèr*? Quapropter Suarez vbi supr. sect. 2. ait: *Non potest Sacerdos, seruata iustitiæ æquitate, ratione vnius Missæ accipere, nisi vnum adæquatum stipendium, siue ab vna, siue à multis personis. Hæc conclusio communis est, nec invenio Authorem aliquem, qui contrarium in communi, & absolutè sentiat ex vi talis muneris, & stipendij.*

16 Dices, non est par ratio de fideli dante eleemosynam, & de Sacerdote illam accipiente: nàm Sacerdos accipit stipendium, vt vexationem suæ paupertatis, & inopiæ redimat, ergo poterit licitè accipere duo, vel plura stipendia, quibus indiget ad alendam vitam, vnoque illis Sacrificio satisfacere.

17 Contra primò, hæc ratio manifestam habet impugnationem, tùm propter infra dicenda, tùm etiã paritate desumpta ex Decreto Sanctiss. Domin. nostr. Innocentij XI. expedito die 2. Martij anno 1679. vbi inter alias propositiones, hanc damnat, & prohibet: *Famuli, & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario, quod recipiunt.* Ratio autem huius damnationis, & prohibitionis (inter alias) est pactum initum inter famulos, & dominos de assignato salario, quo præsupposito contractu, nequeunt surripere, etiam si iudicent eorum laborem maiorem esse ipso salario: meritò damnata fuit prædicta opinio; poterant enim famuli dicere se obligasse ad seruiendum heris suis propter exiguum salarium, vt vexationem suæ paupertatis, & inopiæ redimerent, ex quo sequeretur famulos passim surripere posse bona suorum dominorum, & potius fures essent, quàm famuli: etenim contractus inter famulos, & dominos fuit *radicalitèr* liber, & voluntarius, *consequentèr* vero necessarius, & onerosus, & sicut dominus tenetur ex iustitia soluere salarium, ita famuli ex iustitia tenentur seruire heris suis propter salarium assignatum, & non possunt surripere ad compensandam operam suam; ergo similitèr nequit Sacerdos prætextu paupertatis post acceptum stipendium pro celebratione vnius Missæ, accipere aliud, & vnico Sacrificio pluribus stipendijs satisfacere.

18 Contra secundò, stipendium Missæ non datur, neque assignatum est ad totalem, & adæquatam Sacerdotis sustentationem, vt infra in secunda ratione pro nostra probanda conclusione dicemus. Deinde quia nulla vexatio redimitur, quando iustum stipendium datur, vt de se patet: quæ autem sint iusta stipendia, ita vt maiora non possint exigi, dicunt Au-

tho-

thores esse illa, quæ sunt asśignata à superiori habente potestatem illa asśignandi, rationem reddunt, illâque tradit Suarez, vbi supra. *Quia* (inquit) *licet stipendia non sint verè pretia, tamen quatenus in eis dandis, & recipiendis, ratio iustitiæ intercedit, seruant proportionem quandam, & in eis necesse est aliquod medium æqualitatis inueniri, sine qua, nec vera ratio iustitiæ, nec medium illius reperiri potest.* Potestas enim asśignandi stipendia pro Missarum celebratione est in Ecclesia, vel vniuersalis in Papa, vel particularis in Episcopis pro suis Diæcesibus, & regula ab illis statuta est obseruanda, quia taxare stipendia pertinet ad bonum regimen Ecclesiæ; & deficiente taxatione Pontificis, aut Episcopi, standum est communi consuetudini fidelium; ex contrario verò plurima absurda sequerentur: omninò enim alienum à ratione videtur, quod quilibet Sacerdos pro suo libito asśignet stipendium pro celebratione Missarum.

19 Hanc doctrinam pasśim apud Authores inuenimus, illamque tradit Dubal vbi supra in 2. conclusione, cuius verba sunt hæc: *Standum est taxationi in Synodalibus posita: nàm sicut Respublica ciuilis taxauit stipendia pro ministerijs suorum ministrorum, v. g. Tabellionum, Procuratorum, vltrà quod, si aliquid accipiant, peccant, & tenentur ad restitutionem, quamuis aliàs* (attende) *sint pauperes, vt docet Villalobos, tom. 2. tract. 18. difficult. 5. cum communi sententia Doctorum; sic similitèr Respublica Ecclesiastica potuit taxare, & de facto taxauit aliqua ministeria spiritualia suorum ministrorum, vltra quam taxationem, si aliquid recipiant, peccant, & tenentur ad restitutionem.*

20 Adhuc replicabis, Sacerdos habet ius ad recipiendum plura stipendia ob paupertatem, illisque vna Missa satisfacere. Contra primò, stipendium non de-

debetur Sacerdoti, vt pauperi, ſed vt Miniſtro, aliàs Sacerdos diues nullo iure poſſet accipere ſtipendia pro celebatione Miſſarum, neque Parochus diues pro ſuo munere: ſequela manifeſta eſt, quia ſi paupertas Sacerdotis fundaret ius ad poſſe accipere illa ſtipendia, quæ neceſſaria ſunt ad paupertatem redimendam, ergo vbi non adeſt talis necéſsitas, ſeu inopia, nullum erit ius ad aliquid accipiendum, quod falſum eſt. Ex quo fit, Sacerdotem ratione ſuæ paupertatis non habere tale ius: ex contrario enim ſequeretur fidelem teneri ex iuſtitia ad ſubveniendum cuilibet Sacerdoti indigenti.

21 Contra ſecundò, ſecludamus extremam neceſsitatem, in qua omnia ſunt communia, qua ſecluſa, ſic arguit Suarez vbi ſupra ſect. 4. Paupertas non dat facultatem accipiendi rem alienam inuito domino, aut vendendi rem carius, quam valet, nec mercenarius, aut miles poteſt aliquid vltra ſuam mercedem, aut iuſtum ſtipendium accipere ratione paupertatis; hoc enim eſſet furari, quod quidem declaratum habemus à Sanctiſ. D. N. Innocencio XI. in Decreto ſupra relato, vbi hanc damnat propoſitionem, *Permiſſum eſt furari, non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in graui.* Ergo etiam ſi Sacerdos ſit in graui (dummodò non ſit in extrema) neceſsitate, non poterit duplex, vel plura ſtipendia accipere pro pluribus Miſsis dicendis, & vnam tantum celebrare, quia hoc eſſet furari; nàm ſupponitur vnum ſtipendium eſſe iuſtum, & æquale, ergo alterum eſt vltra iuſtitiæ æqualitatem.

22 Id etiam docuit, & cum eo Doctores, Nauarrus vbi ſupra relatus, ait enim: *Quod paupertas dicentis non ſufficit, vt pro vna Miſſa duæ pitantiæ accipiantur.* Et rationem reddit, *Quia paupertas dicentis*

non

non tollit iustitiam, nec debitum alteri. Supposito enim pacto, seu conuentione, quæ interuenit inter fidelem dantem stipendium assignatum, & præfixum pro vna Missa, & Sacerdotem illud accipientem sub obligatione celebrandi vnam Missam, paupertas Sacerdotis per accidens se habet, & tenetur adimplere talem contractum, seu conuentionem, nec fit iniuria Sacerdoti, non conferendo illi aliud, vel maius stipendium, quàm illud quod est taxatum: in huius rei confirmationem habemus illud Matthæi 20. vbi Christus Dominus in Parabola Patrisfamilias, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam suam, & fecit conuentionem cum illis, respondit vni eorum, qui conquerebantur de illo, eo quod nouissimis dedit eosdem denarios, quos primis: *Amice, non facio tibi iniuriam, nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est, & vade.* Supra quæ verba ait Diuus Gregorius: *Conquerendum quippè esset, non si dat, quod non debet, sed si non daret, quod deberet.* Quo facto ostendit Christus Dominus iniuriam fore, si non adimpleretur, quod per conventionem ex parte vtriusque fuit promissum: ita similitèr dum fidelis conuenit cum Sacerdote, vt pro illo offerat Sacrificium pro stipendio assignato lege Ecclesiastica, & illa deficiente communi consuetudine, Sacerdos pro illo Sacrificio non habet ius ad petendum aliud stipendium, & tunc posset fidelis ei dicere: *Nonnè ex denario* (stipendio scilicèt) *conuenisti mecum? Nullam tibi facio iniuriam.* Ex quo euidentèr constat, Sacerdotem nullum habere ius ad accipienda plura stipendia, & vna Missa illis satisfacere prætextu paupertatis redimendæ: nàm vbi non est iniuria, aut iniustitia, nulla remanet redimenda vexatio.

23 Hic discursus efficaci roboratur ratione, quam assignat Donatus vbi supr. q. 48. n. 2. his verbis: *Quia*

etsi tempore necessitatis licitum sit furari, hoc tamen fallit respectu eius, qui reperitur in pari, vel maiori necessitate, at in casu nostro adest necessitas maior, respectu eius, qui dat salarium pro Missa, cum sit necessitas spiritualis, quæ semper præponderat necessitati temporali; ergò hinc benè apparet, eos, qui plura stipendia ex pluribus receperunt, illisque vnicam tantum Missam applicarunt, teneri sub mortali ad restitutionem Missarum non celebratarum, quia licet ratione modicitatis pecuniæ videatur non teneri, nihilominus ratione violatæ promissionis in re graui tenentur, imò ita censuit Sacra Congregatio vbi supra. Hæc prædictus Magister, cuius ratio præ oculis habenda est.

24 Sed contra hanc doctrinam argues: Stipendium, quod pro nunc temporis datur, non est iustum, licèt fuisset æquale tunc temporis, quo asignatum, & præfixum fuit: res enim quotidie crescunt in pretio comparatiuè ad præterita tempora, propter quod illud stipendium, quod temporibus antiquis iustum, & æquale fuit, in præsenti non est æquale, & iustum; & sicut mutata sunt pretia rerum, ita ratio exigit vt mutetur stipendium Missæ.

25 Respondetur: Demus quod omnia sint variata, tamen asignare stipendium Missæ solum pertinet, vt supradictum est, ad Papam in vniuersali Ecclesia, & ad Episcopum in sua Diœcesi, non autem ad subditos, & inferiores; & quamuis superiores agnoscant mutationem in rerum pretijs, non ideò taxant ad æqualitatem pretiorum stipendia Missarum; ergo signum est, non dari proportionem inter pretia rerum, & Missarum stipendia: nàm, vt ait Vazquez vbi supra, cap. 3. num. 21. *Contingit enim neque raro in Republica, vt quarumdam rerum pretia, aut propter earum raritatem, & paucitatem, aut alia de causa crescant, aliarum vero*

ro nullo modo mutentur; idem igitur in ſtipendijs Miſſarum accidiſſe, etiam ſi pretia aliarum rerum creuerint, cenſendum eſt. Quod autem non liceat Sacerdotibus taxare ſtipendia, ſed hoc ſolum ad Papam, vel Epiſcopum (& horum lege deficiente, ſtandum eſt communi fidelium conſuetudini) pertinere, præterquam quod Authores communitèr docent, conſtat ex facto, vt videri poteſt in Synodalibus, & nouiſsimè his temporibus: nàm Archiepiſcopus Hiſpalenſis volens occurrere aliquibus damnis, aſsignauit in ſua Diœceſi pro ſtipendio vnius Miſſæ quatuor regalia, quod quidem cõfirmauit Eminentiſsimus Dominus Cardinalis Nuntius Apoſtolicus in his Hiſpaniarum Regnis, virtute, & facultate Sacræ Congregationis Eminentiſsim. DD. Cardinalium ad hunc effectum illi conceſſa. Si ergo hoc poſſet quilibet Sacerdos, ad quid expectanda eſſet taxatio Archiepiſcopi, & confirmatio Nuntij Apoſtolici? Ergo nec pro diuerſitate temporum licitum eſt Sacerdotibus augere, vel mutare ſtipendium Miſſæ, ſed hoc ſolum relinquitur Prælatorum iudicio.

26 Neque ex eo quod ſtipendia Miſſarum ſint exigua, attento maiori rerum pretio, poſſunt Sacerdotes, etſi pauperes ſint, hac de cauſa accipere duplex ſtipendium pro duplici Miſſa, & vnica illi ſatisfacere, quia Decretum Sacræ Congregationis Concilij authoritate Vrbani Octaui editum, hoc prohibuit: *Deinde* (ait Sacra Congregatio) *vbi pro pluribus etiam eiuſdem qualitatis celebrandis, plura ſtipendia, quantumcumque incongrua, & exigua, ſiue ab vna, ſiue à pluribus perſonis collata fuerint, aut in futurum conferentur: Sacra Congregatio ſub obteſtatione diuini iudicij mandat, & præcipit, vt abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint.* Et eſt alia declaratio eiuſdem Sacræ Congrega-

nis facta ad tertium dubium illi propositum sub hac forma: *An cum Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam iuxta qualitatem loci, personarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruo, teneantur Missas illis ab offerente præscriptas celebrare?* Sacra Congregatio respondit: *Teneri.* Notentur illa verba, *plura stipendia quantumcumque incongrua, & exigua,* quibus Decretis motus prædictus Donatus quæst. 52. num. 4. ait: *Hinc hodie meo videri opinio contraria nequit sine errore sustineri.* Ergo etiam si stipendium Missæ sit nunc temporis exiguum, & incongruum pro Sacerdotis sustentatione, non licet illi plura accipere stipendia pro pluribus Sacrificijs, & vnum tantùm celebrare.

27 Iam ergo ex prædictis declarationibus, & Decretis se offert secunda ratio in probationem nostræ conclusionis, quæ desumitur ex alio capite, scilicèt, quia stipendium Missæ non est assignatum ad totalem, integram, & adæquatam Sacerdotis sustentationem, & ita efformo discursum. Si Sacerdos posset licitè accipere plura stipendia pro pluribus Sacrificijs, & vnum tantùm offerre, eo esset, quia stipendium Missæ debetur ei ad suam integram, & totalem sustentationem, sed hoc omninò est falsum: ergò nequit in conscientia pro multis Sacrificijs stipendia accipere, & vnum applicare. Consequentia tenet, maior est præcipuum, imò & vnicum contrariæ sententiæ fundamentum; minorem, in qua poterat esse difficultas, vt certam, tenent nostri Authores, eamque probant ex Concilio Tridentino, sect. 21. de reform. cap. 23. vbi habentur hæc verba: *Statuit Sancta Synodus, ne quis deinceps Clericus Sæcularis, quamuis aliàs sit idoneus moribus, scientia, & ætate ad Sacros Ordines promoueatur, nisi priùs legitimè constet, eum Beneficium Ecclesiasticum,*

quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere; id vero Beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius Beneficij titulum sit promotus, neque ea resignatio admittatur, nisi constito, quod aliundè viuere commodè possit: & alitèr facta resignatio nulla sit. Hæc Concilium. Si enim stipendium Missæ deseruiret ad integram, & totalem sustentationem Sacerdotis, non esset necessarium, quod Concilium statueret, ne quis promoueretur ad Sacros Ordines absque Beneficio Ecclesiastico, quod ad victum illius sufficeret, neque prohiberet talem promotionem, quia ferè omnes Sacerdotes stipendio Missæ possent vitam alere, & non egerent illo Ecclesiastico Beneficio.

28 Item sequeretur, quod valida esset resignatio talis Beneficij Ecclesiastici, etiam si aliundè non haberet Sacerdos quo sustentaretur, siquidem iuxta sententiam contrariam posset viuere stipendio Missæ: hoc enim non potuit latère Concilium, imò illud præuidens, prædictam prohibitionem statuit, ex qua meo videri euidentèr infertur, non posse Sacerdotem pro celebratione vnius Missæ accipere tot stipendia, quot illi necessaria sunt ad alendam vitam: nàm vt docet Nauarrus vbi supra, *Ecclesia non instituit Missas ad alendos pauperes Clericos, imò sanxit, vt nullus pauper ordinaretur, & qui ordinatus in paupertatem inciderit, aliqua arte, seu agricultura sibi victum quærat.*

29 Quæ ratio vrgetur ex eo quod B. Pius Quintus præcepit Prælatis, qui tale statutum non obseruarent, vt suis expensis necessitati Sacerdotis occurrant, quod quidem stabilitum fuerat prius in Concilio Lateranensi, can. 4. sub Alexandro III. anno 1180. & etiam per Innocentium III. Si ergo pro celebratione Missæ deberetur Sacerdoti tota, & adæquata sustentatio, non erat necessarium quod Episcopus illi subveniret.

Dein-

30 Deinde probatur eadem minor principalis silogismi, nàm Sacerdos non consumit integrum diem, nec maiorem illius partē in celebratione Missæ, sed ad summum vnam horam,& multi minus, quàm dimidiam; ergò nequit vti illo stipendio pro victu,& alijs necessarijs ad alendā vitam. Hæc consequentia probatur, primò quia licèt Sacrificium oblatum consideratum in se ipso excedat in valore omnes mundi thesauros, tamen quia stipendium non reputatur vt merces, seu pretium illius, non est cur pro tàm exiguo labore debeatur Sacerdoti adæquata, & integra sustentatio. Secundo probatur eadem consequentia, quia vt docet Suarez, & alij, maius stipendium taxatur pro solemni Missa, quàm pro priuata; ergò signum est, non deberi pro celebratione Missæ omne necessarium ad alendam vitam; & ideò, quo maius ministerium exhibet Sacerdos, eo aliquid amplius debetur ei ad suam sustentationem. Tertiò probatur eadem consequentia ex D. Thoma supra relato, qui postquam asseruit eos, qui Sacramenta Christi ministrant, posse accipere absque Simonia aliqua ad eorum sustentationem, ait: *Quod hoc debet esse secundum ordinationem Ecclesiæ, & consuetudines approbatas.* Cum ergo Ecclesia non ordinet taxationem stipendij Missæ in tali quantitate, vt cum illo posit Sacerdos commodè, & honestè viuere, vt ex Tridentino constat: inde est, non licère illi applicare tot stipendia pro vna Missa, quot illi sunt necessaria ad commodè viuendum. Prælati enim prædictam taxationem statuentes, considerant labores,& tempus, quod consumit Sacerdos in celebratione vnius Missæ.

31 Sed dices primò ex Paulo, qui Epistol. 1. ad Corinth. cap. 9. ait: *Nescitis quoniam, qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt edunt: & qui Altari deseruiunt, de Altari participant.* Quibus verbis videtur

Aposto-

Apoſtolum docuiſſe ſtipendium deberi Sacerdoti pro ſuo miniſterio ad totalem,& integram ſuſtentationem. Secundò, quia ex contrario ſequeretur, quampluri-mos Sacerdotes egere, mendicare, quod indecens viſum fuit Concilio Tridentino ſeſſ. 21. cap. 2.vbi ait: *Quod non decet eos, qui diuino miniſterio adſcripti ſunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut ſordidum aliquem quæſtum exercere.*

32 Reſpondetur ad primum, Apoſtolum intelligendum eſſe proportione ſeruata, ſcilicèt, quod ſtipendium ſit debitum Miniſtro Altaris, ſecundum quod plus, minuſve deſeruit Altari, & in Sacrario laborat; & quod ita ſit,conſtat ex Tridentino ſuprà relato,aliàs quicumque poſſet ad Sacros Ordines promoueri abſque Beneficio Eccleſiaſtico, & ſi ex textu D. Pauli probaret contraria ſententia ſuum intentum, probaret etiam, vt ait Emmanuel Rodriguez, quod etiam Diaconus, vel alius, qui ſolum ſeruit Altari legendo Euangelium, vel Epiſtolam,vel Miſſam offerendo, æqualitèr deberet accipere mercedem ad vitæ ſuſtentationem, ſicut qui celebrat (æqualitèr enim tempus conſumunt Diaconus, & Subdiaconus, & omnes, qui Altari ſeruiunt) & ipſe ſimplex Sacerdos, ſicut Curatus, vel Epiſcopus, item probaret, quod Sacerdoti valdè honorabili in dignitate conſtituto plus deberetur ad ſuam decentem ſuſtentationem, & iſte plus poſſet aſſumere, quàm Sacerdos pauper, & infimæ ſortis, quod omninò falſum eſt.

33 Hæc ſolutio roboratur ex doctrina, quam tradit Vazquez ſupra relatus cap. 3. num. 19.vbi hæc habet verba: *Quia quamuis dignus ſit operarius Euangelij mercede ſua, tamen non omnes eodem modo, ſed vnuſquiſque pro labore ſuo: nàm ſi is, qui toto die in Eccleſiaſtico miniſterio, legendo, ſtudendo, docendo, &c. occupatus,*

patus, aut toto die ad hæc, aut alia ministeria, prout occurrerit, obligatus est, quales sunt Parochi, nihil amplius mereretur, quàm moderatum victum, & vestitum suum, & familiæ suæ: quo facto tantundem etiam mereri poterit, qui vna tantum hora, aut duabus in celebratione Missæ occupatur?

34 Ad secundum respondetur, Concilium solùm dixisse, non decere eos, qui diuino ministerio sunt adscripti, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere; non autem prohibuisse Sacerdotibus exercitium in operibus honestis: & si argumentum probaret de Sacerdote, quod intendit contraria sententia, probaret etiam Diaconum, & Subdiaconum pro lectione Euangelij, & Epistolæ posse accipere tot stipendia, quibus indigerent ad alendam vitam, quia etiam isti sunt diuino ministerio adscripti, & non decet tales mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere.

35 Igitur sunt aliqua opera, seu exercitia, quibus potest licitè, & decentèr Sacerdos sibi victum, & vestitum quærere: Imò Concilium Carthaginense V. can. 49. & 52. ait: *Quod Clericus victum, & vestimentum sub artificiolo, vel agricultura, absque sui officij dumtaxat detrimentum paret.* Quod ita statutum fuit (teste Coriolano) ad refellendam quandam hæresim Mosalianorum, qui in Africa docebant, non licère Religiosis operari, & pro victu laborare, sed debere in Dei prouidentia confidere, & ex alienis laboribus viuere: contra quem errorem decretum fuit, vt Clerici ad imitationem Apostolorum victum, & vestimentum labore manuum suarum acquirerent: nàm Diuus Paulus in Actis Apostolorum cap. 20. num. 34. ait: *Quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ.* Et 1. ad Corint.

cap. 4. ait: *Laboramus operantes manibus nostris.* Ergò non omnis corporalis labor indecens est Sacerdotibus, nec illis prohibitus.

36 Tertia ratio pro nostra conclusione desumitur, tùm ex Decreto Sacræ Congregationis authoritate Vrbani VIII. edito, tùm ex propositione damnata à Sanctissim. Domin. nostr. Alexandro VII. supra iam relatis: Sacra enim Congregatio decreuit, vt *Tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint.* Declarans contrarium facientes non satisfacere, quinimò grauitèr peccare, & ad restitutionem teneri. Alexander VII. hanc damnauit propositionem, *Non est contra iustitiam pro pluribus Sacrificijs stipendium accipere, & Sacrificium vnum offerre.* Et hunc discursum efformo. Quidquid est contra iustitiam in re graui, est peccatum mortale; sed accipere stipendia plura pro pluribus Sacrificijs, & vnum Sacrificium offerre, est contra iustitiam, & in re graui, vt declarat Summus Pontifex: ergò non licet accipere plura stipendia pro pluribus Sacrificijs, & vnum tantum offerre, illòque satisfacere.

37 Doctissimus P. M. Moya in suis select. tom. 2. tract. 2. disp. 2. miscel. quæst. 4. §. 1. ait: *Omnes opiniones suprascriptæ concedentes duplex, aut plura stipendia pro eadem Missa, siue ab vno, siue à pluribus accipienda, prohibitæ iam sunt, vt scandalosæ, in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ Inquisitionis ab Alexandro VII. die 24. Septembris anno 1665. vnde nullam earum in posterùm licet defendere sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Summo Pontifici reseruatæ, nec ad praxim vllam illarum deducere, quia sub lethali (licet non sub excommunicatione) omnibus Sacerdotibus prohibitum est.* Hæc prædictus Magister.

38 Etenim opinionem contrariam non manere

intra terminos probabilitatis, vt certum, & indubitatum teneo. Moueor ad hoc, quia in rebus nedum pertinentibus ad fidem, sed etiam ad Christianos mores; non est ad alium diffinitiuè recurrendum, nisi ad Summum Pontificem, ad quem pertinet, tanquam Caput vniuersalis Ecclesiæ, difficilimas quæstiones, tàm de fide, quàm de moribus declarare, vt ait D. Thom. 2. 2. quæst. 1. art. 10. & communitèr Doctores: de eius enim munere est diffinire ea, in quibus salus animæ periclitari posſit, vt securè in viã Dei ambulent fideles. Etenim Alexander VII. *Audiuit, non sine magno animi sui mœrore* (vt ipsum fert Decretum) *complures opiniones Christianæ disciplinæ relaxatiuas, & animarum pernitiem inferentes*; Quarũ vna erat prædicta Propositio, nostræque conclusioni contraria. Interrogatus fuit Summus Pontifex, *An Sacerdos pro pluribus stipendijs acceptis posſit satisfacere vnico tantùm Sacrificio?* Quo audito, respondit sua Sanctitas, *Esse contra iustitiam*. Et declarauit, talem opinionem (sicut & alias ibi contentas) ad minimum tanquàm scandalosam esse damnandam, & prohibendam, eamque damnat, & prohibet. In quo Decreto, non loquitur vt Doctor particularis, sed vt Legislator, Pastor, & Caput Ecclesiæ, vtendo illa potestate, quam habet ad talem declarationem faciendam, ne fideles ignorantia, & cœcitate ducti, in foueam perditionis cadant, iuxta illud Luc. 22. *Et tu aliquandò conuersus, confirma fratres tuos.*

39 Summum Pontificem non posse errare in rebus pertinentibus ad mores, communis est Theologorum sententia, quam defendit nouiſsimè Magister Moya in suis selectis, tom. 1. tract. 3. de Sacrament. Pœnit. disp. 6. quæst. 5. §. 5. referens quamplures Authores, ne dicatur, Ecclesiam posse in errorem induci, & eodem tom. disp. 8. quæst. 6. §. vnic. idem repetit. Et

de hac materia latè, & eruditè agit præclarissimus Theologus Ioannes de Cardenas Societatis Jesu in sua Crisi Theologica, supr. LXV. Propositiones ab Innocentio XI. damnatas. Igitur dissert. 1. cap. 1. artic. 4. demonstrat, Romanum Pontificem non posse errare in materia morum, quam Conclusionem multis probat rationibus, quæ videri possunt, illisque omissis, vnicam tantùm propono, & est in num. 41. si Ecclesia approbaret turpia, vel reprobaret honesta; lex, & professio morum Ecclesiæ non esset Sancta: patet, illa enim professio morum non est Sancta, quæ profitetur mores turpes, & damnat honestos, cum sanctitas eius professionis consistat in eo, quod ita mores sanctos profiteatur, vt nullum turpem admittat, nullum honestum damnet.

40 Pro huius doctrinæ intelligentia notandum venit, quod communitèr tradunt Doctores, & expressè docet Siluester, verbo, *Canonizatio*, scilicèt, quod sententiæ latæ à Papa sunt in duplici differentia; quædam circa particularia facta particularium hominum, vt promotiones ad Dignitates, & Beneficia, & Iudicia contra aliquos, & pro aliquibus; quædam autem pertinent ad statum vniuersalem totius Ecclesiæ, quantum ad fidem, vt determinationes circa ea, quæ sunt fidei, vel quantum ad mores, vt statuta, Decreta, & Decretales: in primis errare potest Papa, in secundis verò non potest errare, ex suppositione diuinæ prouidentiæ gubernantis Ecclesiam Spiritu Sancto, ne fallatur, secundum illud Ioan. 14. *Quod Spiritus Sanctus adueniens doceret omnem veritatem*; Scilicet, de necessarijs ad salutem. Hanc doctrinam pluribus alijs locis repetit. Vnde quamuis in politicis, quales sunt promotiones ad Dignitates, & alia huiusmodi, errare possit Summus Pontifex, etiam si ferat sententiam vt Iudex, tamen in

his, quæ pertinent ad correctionem morum in Vniuersali Ecclesia, non potest errare, videatur idem Siluester, verbo, *Fides*.

41 Sed dices, Alexander VII. vsus fuit ad damnationem talis propositionis medio incerto, qualia sunt iudicia, & discursus hominum, siquidem examen illius (vt dicitur in ipso Decreto) fuit commissum pluribus in Sacra Theologia Magistris, & Eminentissimis Cardinalibus Inquisitoribus, qui omnes non sunt regula veritatis infallibilis; potuerunt enim falsò in eo casu iudicare: ergò Authores contrariæ sententiæ possunt efformare iudicium de probabilitate suæ opinionis, licitèque illam sequi, non obstante prædicta damnatione.

42 Contra. Verum est, Summum Pontificem vsum fuisse tali medio, ex hoc tamen non sequitur, quod in argumento intenditur, quia cum prædicta declaratio, seu condemnatio sit in ordine ad bonos mores, non est præsumendum in hoc errasse: nec obest, quod dicitur de medio incerto, quale est iudicium hominum, quia in canonizatione Sanctorum vtitur humanis testificationibus, & non potest in ea errare, sicuti etiam in alijs rebus fidei, in quibus Doctorum examine, maturoque consilio, ante diffinitionem vtitur Papa, & ad proponendas res de fide credendas, præmittitur Concilium, non ex Angelis, sed ex hominibus ornatum, vt demonstrat Ecclesiæ praxis, de quo videndus est noster Illustrissimus Fr. Franciscus de Sequeyros, doctrina, & eruditione eximius, in sua Eurythimia Pontificali, sect. 7. §. 3. fol. 98. Quinimò ex hoc maximum contra aduersarios stat argumentum, siquidem Alexander VII. priusquam ita decreuisset, rem commisit pluribus Magistris, & Eminentissimis Cardinalibus Generalis Inquisitionis, eamque maturè considerauit, vnde non leui-

leuitèr, sed omni adhibita disquisitione, talem propositionem damnauit.

43 Deinde, quia ex opposito sequeretur nunquam manere resoluta dubia, aut quæstiones ad bonos mores spectantes (imò neque ad fidem pertinentes) nàm quis poterat dicere Papam neutiquam posse destruere probabilitatem opinionum, quod falsum videtur, siquidem in hac controuersia, an hæc opinio sit secura, vel non? necessariò recurrendum est ad Caput, & Superiorem totius Ecclesiæ, vt ferat sententiam, de eius veritate, aut falsitate, turpitudine, aut honestate: si ergò non esset standum declarationi Papæ, ad quid recursus? nec sine magno scandalo, & temeritate potest contrarium defendi (aliam censuram pro nunc omitto) nihil magis repugnat rationi, authoritatique Supremi Pontificis (quæ suprema est, nulli inferior, vel ęqualis, sed omnibus superior) quàm asserere, non posse resoluere dubia, quæ sunt circa mores: supposito ergo, quod vtatur hac potestate, & declaret aliquam opinionem esse omninò falsam, & ad minus scandalosam, & nullo modo sequi posse, non est cur dicatur, manere probabilem, aliàs nunquam cessarent in Ecclesia Dei quæstiones, & lites; imò semper esset confusio, quod fidei, & rectæ rationi dissonat.

44 In veteri lege Deus (vt constat ex Deuteron. cap. 17. statuit in grauibus difficultatibus, & dubijs ad Summum Sacerdotem recurrendum esse, eiusque decreto standum. *Si difficile* (ait Sacer Textus) *& ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem, & sanguinem; causam, & causam; lepram, & lepram: & iudicium intra portas tuas videris verba variari; surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus; veniesque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresque*

ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quodcumque dixerint; qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram: qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto Iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael. Hoc præceptum impoſitum filijs Iſrael, non fuit veteris legis peculiare, vt ait Fr. Ludouicus à Conceptióne in examin. veritatis, tom. 1. tract. 4. de legib. quæſt. 5. num. 187. vt ſic cum illa interiret, ſed iuris naturalis, vt elegantèr probat idem Sanch. num. citat. in prima, & ſecunda rationibus: Notentur illa verba: *Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto Iudicis, morietur homo ille.* Proh dolor! Deteſtanda ſuperbia eorum, qui decretis Summi Pontificis ad mores pertinentibus (nolentes captiuare intellectum) reſiſtunt: tales enim de ſe præſumentes morientur ſuper temeritate, & nullus ſanæ mentis audebit defendere, Paſtorem Eccleſiæ errare poſſe in condemnatione opinionum, definiendo eſſe relaxatiuas Chriſtianæ diſciplinæ.

45 Authoritas Papæ in definiendis rebus pertinentibus ad mores ita ſuprema eſt, vt non ſit locus ad aſſerendum, opinionem ab ipſo damnatam adhuc eſſe probabilem: quapropter Fr. Leander à Murcia ex Capuccinorum Familia, lib. 1. diſp. vnic. reſol. 16. inquirens, vtrùm opinio antiquata, & communitèr à modernis reiecta, ſit probabilis? In prima concluſione ait: *Si opinio ſit antiquata, & communitèr reiecta à iunioribus, propter aliquam nouam legem, ſeu Decretum Summi Pontificis contrarium eidem opinioni, vel propter aliquam nouam declarationem circa fidem, vel bonos mo-*

res;

res; talis opinio iam non remanet probabilis, nec intrinsecè, nec extrinsecè, nec iuxta illam vllo modo licet operari, ita Vazquez, disp. 62. cap. 4. num. 17. & 18. in 1. 2. Sairus in Claui Regia, lib. 1. cap. 5. num. 6. Sanchez, lib. 1. Sum. cap. 9. num. 11. & communitèr Doctores. Et rationem reddit, *Quia Constitutiones Sacrorum Canonū, & Decretorum Summi Pontificis anteponuntur singulis opinionibus, quoniam nemo debet inniti suæ prudentiæ, ne sit sapiens apud semetipsum.* Idem tenet prædictus Author, quando opinio antiquorum, seu recentiorum opponitur Decreto Eminentissim. Cardinalium Sacræ Congregationis, siue alterius facto authoritate Summi Pontificis, & ab eo obseruari præcepto.

46 Sed replicabis, Summus Pontifex in damnatione propositionis, de qua nobis dubium est, sicut & aliarum, quæ in ipso Decreto continentur, non loquitur ex Cathedra; vbi Spiritus Sanctus docet eum omnem veritatem; ergò non est infallibilis regula veritatis de falsitate prædictæ propositionis.

47 Contra. Nego antecedens: nàm Summus Pontifex habet potestatem à Christo Domino condendi leges morales, & declarandi quid sit iustum, & honestum, quia est Caput, & Pastor Vniuersalis Ecclesiæ, non solùm quoad res ad fidem pertinentes, sed etiam spectantes ad bonos mores, vt patet ex illo Ioann. 21. *Pasce oues meas*. Vbi notandum est, Christum Dominum, non tantùm dixisse, *Pasce oues*, sed *Oues meas*: Oues enim Christi sunt illæ, quæ ipsum iam per fidem cognoscunt, idest, quæ credunt in illum, iuxta illud Ioann. 10. *Ego sum Pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ*. Nàm aliæ sunt oues, quæ non sunt ex eius ouili, quales sunt infideles: vnde per prædicta verba, *Pasce oues meas*, Dedit potestatem Petro, & eius successoribus, vt instruant oues, quæ iam per fi-

fidem sunt ex eius ouili, & pascat illas vera, & salubri doctrina, quæ non est alia, nisi illa, quæ tendit ad correctionem morum: quem textum ita explicatum apud Remigium inuenimus in summ. tract. 5. §. 15. ibi: *Pues basta que Christo Nuestro Señor aya dicho à San Pedro,* Pasce oues meas; *demanera que el Sumo Pontifice apacienta à los Fieles, que son sus ouejas, no solamente con la doctrina de la Fè, sino tambien con la honestidad de saludables costumbres.*

48 Quod autem Summus Pontifex in condemnatione prædictæ propositionis pertinentis ad bonos mores, loquatur ex Cathedra, manifestè constat, si consideretur quid significet Papam loqui ex Cathedra, seu vt Caput Ecclesiæ, quam difficultatem resoluit iam relatus Cardenas, vbi supra, dissert. 1. cap. 4. probans, Summum Pontificem tunc loqui ex Cathedra vt Caput Ecclesiæ, quando Decretum edit pro Vniuersa Ecclesia, illudque vult ab omnibus fidelibus indubitantèr admitti, atque obseruari, quod totum inuenitur in Decreto, quo prædictam (sicut & alias) propositionem, de qua hìc agitur, damnauit, vt patet ex ipso: regula enim, quæ nos docet, Papam loqui ex Cathedra vt Caput Ecclesiæ, est quando Decretum exit pro tota Ecclesia admittendum, & obseruandum ab omnibus Christifidelibus, refert Valentiam, & Suarium, ille 2. 2. quæst. 1. punct. 7. §. 39. ait: *Tunc verò definire* (Summum Pontificem) *vt Ecclesiæ Caput, quando Decretum ederet pro Vniuersa Ecclesia, quodque vellet à fidelibus indubitantèr admitti.* Suarez contra Regem Angliæ, lib. 1. cap. 3. num. 16. inquit: *Breuitèr dicimus, aliud esse loqui de Decretis Pontificum, quatenus per ea aliquid definiunt, vel approbant tanquam credendum, vel obseruandum ab vniuersa Ecclesia, aliud de priuatis sententijs, opinionibus, aut rationibus*

Pon-

Pontificum; *in præsenti enim de prioribus Decretis tra-ctamus*. Cum ergò constet, quòd Alexander VII. damnauit hanc opinionem, *Non est contra iustitiam, accipere duplex stipendium pro duplici Sacrificio, & vnum applicare*. Decreuitque esse contra iustitiam, præcipiendo omnibus Christifidelibus, ne in posterùm talem opinionem sequantur, manifestum est loqui ex Cathedra.

49 Scio Illustrissimum Caramuelem (quem refert Magist. Moya in suis select. tom. 1. de opinione probab. tract. 1. quæst. 4. §. 1. num. 4.) dixisse, quod non datur in mundo visibili authoritas condemnandi opiniones probabiles: Contra quem acritèr insurgit (& meritò) prædictus Magister, asserens contrariam sententiam esse veram, & apud Theologos communitèr receptam, & hanc Caramuelis sustineri non posse, quia condere leges declarantes quid sit iustum, pertinet ad potestatém collatam Petro, & eius Successoribus, & num. 5. ait: *Defendere, Pontificem posse errare in his, quæ ad mores pertinent, graui nota dignum censeo, cum pluribus, quos refero in Opuscul. pro Iesuitis, tract. de Baptismo; nec enim Deus Ecclesiæ sufficientèr prouidisset, ni veritatis moralis iudicium illi reliquisset*. Et tract. 3. de Sacram. Pœnitent. disp. 6. quæst. 5. art. 5. idem repetit, asseritque hæresim incurrere, qui sentiret, Papam errare posse in his, quæ pertinent ad mores: rationem reddit, *Quia sentiret Ecclesiam posse errare, & de facto errasse in qualificatione propositionum, & in legibus toti Ecclesiæ in his, quæ ad mores, & religionem pertinet, statuendis, quod hæreticum (ait) censeo: est enim contra illud Ioann. 14. Qui docebit vos omnem veritatem. Vbi infallibilis assistentia Spiritus Sancti promittitur*.

50 Dignitas, & potestas Petri, & eius Successorum,

rum, quæ ſuprema eſt, conſiſtit (vt ait Magiſt. Franciſcus de la Laſtra, tom. 2. in libr. Decretal. titul. 3. de maiorit. & obedientia, q. 2. n. 69. fol. 412.) *In poteſtate ſpirituali paſcendi gregem per doctrinæ paſtum, quæ ducit fideles ad vitam æternam.* Si ergò in hoc poſſet Papa errare, non paſceret fideles paſtu veritatis, ſed falſitatis, & erroris, qui quidem non ducit illos ad vitam æternam.

51 Vrgetur amplius ex doctrina, quam tradit relatus Magiſter Moya, vbi ſupr. tract. 3. de pœnitent. diſp. 6. quæſt. 5. vbi inquirens qua nota dignus ſit, qui opinaretur contra cenſuram Clementis VIII. damnantis opinionem aſſerentem, *Licitum eſſe in aliquo caſu abſentē abſoluere*, ait: *De fide eſſe, Pontificē non poſſe errare proponentem legem quoad mores toti Eccleſiæ, & qui contrarium ſentiret, & pertinacitèr aſſereret, errorem in fide admitteret, vel errori proximus eſſet, quia ſentiret Eccleſiam poſſe errare, & de facto errasse in qualificatione propoſitionum, & in legibus toti Eccleſiæ, in his, quæ ad mores, & religionem pertinent, ſtatuendis, quod hæreticum cenſeo.*

52 Neque obſtat dicere Decretum condemnans propoſitionem, de qua agitur, eſſe Sacræ Congregationis Eminentiſsim. Cardinal. Generalis Inquiſitionis. Hoc inquam non obeſt, quia tale Decretum fuit editum aſsiſtentia, & mandato Alexandri VII. & vt docet Magiſter Prado, quem refert, & ſequitur prædictus P. Moya, quando ita contingit, Summus Pontifex ex Cathedra loquitur, tametſi Sacræ Congregationis Generalis Inquiſitionis nomine prodierit; imò prædictum Decretum non fuit Eminentiſsimorum Cardinalium, ſed Sanctiſsimi D. N. Alexandri. Hæc enim ſunt verba: *Quibus peractis, dum ſimilium propoſitionum examini cura, & ſtudium impenditur, intereà idem Sanctiſsi-*

ctissimus re maturè considerata, statuit, & decreuit prædictas propositiones, & vnamquamque ipsarum, vt minimum, tanquam scandalosas, esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet, &c.

53 Sed dices, Alexander VII. non damnauit illã, & alias propositiones in Concilio, sed extra illud, & potest errare, definiendo aliquid extra Concilium, vnde non est certum, & infallibile tales propositiones ita esse damnatas, vt non possint ab Authoribus defendi, cum probabile sit, Papam errare posse definiendo aliquid extra Concilium.

54 De hac materia plures Theologi agunt, quos refert Diana, part. 11. resol. 2. & sequentibus, & nouissimè Magister Lastra, tom. 1. in libr. Decretal. tit. 1. cap. 1. quæst. 4. igitur ferè omnes Doctores Catholici tenent, Papam non posse errare definiendo extra Concilium aliquid de fide; & ait Diana, hanc sententiam esse de fide, & contrariam hæreticam, ita resol. 4. pro qua citat Suarium, & alios.

55 Et magis ad rem nostram prædictus Diana eadem parte in appendic. resol. 13. quærit, *An Pontifex possit errare definiendo aliquid circa mores extra Concilium?* Et respondet negatiuè, asserendo, de fide esse non posse Pontificem statuere aliquid ab Uniuersali Ecclesia obseruandum, quod legi Diuinæ, vel naturali contrarium sit, quod multis probat rationibus, quarum vna ita se habet, si posset Summus Pontifex in legibus ferendis de rebus ad salutem necessarijs errare, posset tota Ecclesia in negotio salutis errare, quod est falsum; alioquin non verificaretur promissio Christi: *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Nàm siue errare posset falsitate doctrinæ, siue malitia, & iniquitate morum (attende) verè contra eam præualere possent inferorum portæ; hæc. Diana, ex cuius

doctrina, & ferè omnium Theologorum manifestè constat, non esse probabile Papam errare posse definiendo extra Concilium aliquid ad fidem, & ad bonos mores pertinens, siquidem tunc loquitur ex Cathedra, vt Caput totius Ecclesiæ, vt suprà sæpè dictum est.

56 Et non est omittendum, Alexandrum VII. antequam prædictas opiniones damnaret, & contra illas definiret, *Earumdem opinionum examen* (verba sunt ipsius Decreti) *pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentiss. & RR. DD. Cardinalibus contra hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus seriò commisit, qui tantum negotium strenuè aggressi, eique sedulò incumbentes, & maturè discussis, vsque ad hanc diem infrascriptis propositionibus, super vnaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati suæ sigillatim exposuerunt.*

57 Replicabis vltimò, Summus Pontifex nequit auferre, seu destruere probabilitatem intrinsecam opinionum, ergò adhuc lata sententia contra aliquam opinionem, poterunt illam defendere, & sequi eius Authores, iudicando esse ab intrinseco probabilem.

58 Respondeo primò, concedendo antecedens, quia hæc probabilitas intrinseca, nihil aliud est, quàm ipsa ratio: nego tamen suppositum consequentis. Supponitur ergò opinionem damnatam à Papa manere ab intrinsecò probabilem, neque in Ecclesia esse potestatem damnandi opiniones pertinentes ad mores: hoc firmissimè negatur, propter superius dicta, quia standum est sententiæ latæ à Summo Pontifice, ne conueniamus cũ illis, qui (vt refert Iob c. 12.) *Dixerunt Deo, recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus.*

59 Respondeo secundò cum Magistro Cardenas, vbi supr. dissert. 1. cap. 2. art. 1. hanc propositionem, Summus Pontifex nequit auferre, seu destruere probabilitatem intrinsecam opinionum, veram esse in sensu com-

 251

composito, ideſt, nequit condemnare aliquam opinionem, relinquendo illam probabilem, aliàs opinio ſimul eſſet probabilis, & condemnabilis, quod implicatorium eſt, quia implicat componi probabilitatem cum damnabilitate: quem admodum hæc propoſitio eſt falſa in ſenſu compoſito, Omnipotentia poteſt facere, quod cæcus videat, quia facit hunc ſenſum: Omnipotentia poteſt facere, quod cæcitas, ſeu priuatio viſionis componatur cum viſione, ſecus dicendum in ſenſu diuiſo, ità vt propoſitio, quæ prius fuit probabilis, poteſt amiſſa probabilitate, fieri condemnabilis, ſicut hæc propoſitio eſt vera in ſenſu diuiſo, Omnipotentia poteſt facere quod cæcus amittat cæcitatem, & videat: vnde opinio, quæ aliquando exiſtimata fuit probabilis, poteſt à Summo Pontifice damnari, declarando nulla probabilitate gaudere, & conſequentèr manet deſtructa omnis probabilitas, quam anteà habebat; cuius ratio eſt, quia de conceptu opinionis probabilis, eſt niti fundamento graui, ſed non certo; & opinio, quæ modò nititur fundamento non certo, procedēte tempore poteſt contra illam apparere fundamentum euidens. Et ſi aliquid probaret replica, probaret vtique in Papa non eſſe poteſtatem ad declarandum quid ſit iuſtum, aut iniuſtum; quid ſequendum, & quid fugiendum, quia poterat quis arguere, non poſſe deſtruere probabilitatem intrinſecam opinionū, quod alienum eſt à puritate Fidei Catholicæ.

60 Quarta, & vltima ratio pro noſtra concluſione deſumitur ex prohibitione Sanctiſsimi D. N. Alexandri VII. demus igitur (quod nunquam concedemus) eſſe probabilem illam opinionem, quæ aſſerit Sacerdotem poſſe pro pluribus ſtipendijs acceptis vnum offerre Sacrificium, illoque ſatisfacere. Hoc inquam dato, nequit talis opinio ſequi, poſt Decretum illam

pro-

prohibens. Verba ipsius Decreti sunt hæc: *Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione diuini iudicij prohibet* (sua Sanctitas) *omnibus Christifidelibus cuiuscumque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.* Iam vides prohibitionem.

61 Nunc efformo discursum: quando adest Decretum Summi Pontificis, in quo prohibetur praxis alicuius opinionis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione diuini iudicij; nequit talis opinio in conscientia sequi, & tenentur fideles illi Decreto obedire: sed vt visum est, Summus Pontifex ita prohibet omnibus Christifidelibus, ne ad praxim deducant opinionem asserentem, posse Sacerdotem vnicum offerre Sacrificium pro pluribus acceptis stipendijs; ergò nullus in conscientia potest operari iuxta illam opinionem. Consequentia tenet, minor constat ex ipso Decreto: maior verò probatur primò, quia Papa habet supremam, & immediatam potestatem à Christo Domino, ad stabilienda statuta, seu Decreta, quæ respiciunt correctionem morum, quibus Catholici iure diuino tenentur obedire: nàm de fide tenendum est, in Ecclesia esse potestatem ad condendas leges, à Christo Domino communicatam, qui quidem fuit datus nobis, non solùm vt Redemptor, sed etiam vt Legislator, vt ait Concilium Tridentinum, sect. 6. can. 21. *Si quis dixerit, Christum Iesum à Deo datum fuisse vt Redemptorem, cui fidant, non etiam vt Legislatorem, cui obediant, anathema sit.* Et potestas Legislatoris collata fuit Petro, & eius Successoribus, & Ecclesiæ Prælatis, quod nullus negare potest. *Qui vos spernit, me spernit.* Luc. 10. *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis.* Matth. 16. Hæc veritas ex pluribus Sacræ Scripturæ locis constat.

Se-

62 Secundò probatur eadem maior, quia vt Superior statuat aliquam legem, & imponat præceptum obligans sub mortali, sufficit, eum vti opinione probabili, vt ferè omnes tenent Doctores; aliàs non daretur in superiori potestas supra subditos in rebus pertinentibus ad bonos mores, quia hi poterant respondere, nos habemus opinionem probabilem asserentem contrarium fieri posse; Authores verò prædictæ propositionis damnatæ non possunt negare probabile esse, imò probabilius, & securius, non licère Sacerdoti accipere plura stipendia pro pluribus Missis dicendis, & vnam celebrare: ergò Summus Pontifex adhuc dato casu (sed non concesso) quòd opinio damnata esset probabilis, potest riguroso præcepto statuere, ne ad praxim deducatur, & consequentèr supposito tali Decreto in virtute sanctæ obedientiæ, fideles nequeunt in conscientia operari iuxta opinionem prohibitam.

63 Nec valet dicere, licitum esse operari cum opinione probabili, ergò dato, quòd probabile sit, Sacerdotem posse accipere tot stipendia pro vna Missa, quot sunt illi necessaria ad alendam vitam, probabile etiam erit, posse operari iuxta illam opinionem, non obstante præcepto in contrarium posito.

64 Non inquam valet, quia quando est præceptum prohibens praxim alicuius opinionis, etsi sit probabilis, nequit in conscientia sequi, vt tenent Doctores, & expresè tradit Frat. Ludouicus à Conceptione, tom. 2. exam. Theol. tract. 1. de opinione probabili, §. 12. litt. O. conclus. 4. num. 16. vbi ait: *Sit conclusio, ex quacumque probabili opinione, vel ex duabus probabilibus opinionibus, potest in quacumque materia probabilis fieri illatio, nisi obstet Decretum aliquod, aliquaue lex, vel præceptum contrarium determinans.*

65 Notanda venit doctrina communitèr ab Au-

thoribus recepta, ſcilicèt, quod ſuperior non tenetur reddere ſubditis rationem ſuorum præceptorum. *Los ſubditos* (ait Villalobos, tom. 1. tract. 2. diffic. 10. n. 2.) *miren atentamente, que no es ſuyo el juzgar de la juſticia, ò conueniencia de las leyes, ſi no es que la iniquidad, ò inutilidad dellas fueſſe euidente; porque en duda, ſiempre ſe ha de preſumir por el Legislador.* Salas de legib. q. 95. tract. 14. quæſt. 12. pag. 168. num. 59. inquit: *Non eſt autem noſtrum iudicare de iniuſtitia, inconuenientia, vel inutilitate legis, ſed quoties oppoſitum non conſtat, prò Legislatore præſumendum eſt, & ei obediendum.* Donat. tom. 4. praxis regul. tract. 17. quæſt. 21. & 22. Sanchez, tom. 2. ſumm. libr. 6. cap. 3. num. 3. per totum, Fr. Emmanuel Rodrig. tom. 3. quæſt. regul. quæſt. 20. art. 4. idem ſentiunt cum communi Doctorum, quia quando non conſtat manifeſtè Prælatorum iniuſtè præcipere, tenentur ſubditi ei obedire; aliàs Reſpublica, & ordo hierarchicus, ſaluſque communis deperiret, ſi ſtandum eſſet iudicio, & ſenſui ſubditorum, ſi omnibus, etiam de omnibus à ſuperioribus ratio reddenda eſſet.

66 Hoc videtur obſeruari in pluribus alijs opinionibus, quibus (ſuppoſito Decreto earum praxim prohibente) nullus vtitur, multa de hoc poſſem adducere exempla; ſufficiat vnum: Clemens VIII. damnauit opinionem, quæ aſſerebat licitum eſſe abſoluere pœnitentem abſentem, declarauitque talem abſolutionem non licere, præcepit etiam, ne ad praxim deducatur: & poſt prædictam prohibitionem, nullus auſus eſt talem opinionem ſequi. Inquiro nunc, eſt ne in præſenti minoris vis præceptum prohibens applicare vnum Sacrificium pro pluribus ſtipendijs acceptis, ac præcipere, non abſoluere pœnitentem abſentem? Reſponſionem deſidero. Quis enim Catholico-

rium poteſt contendere de validitate huius præcepti, cum omnes teneantur defendere in Papa eſſe poteſtatem ad præcipiendum, ne in Eccleſia Dei ſequatur aliqua opinio pertinens ad mores, præſertim declarandò eſſe relaxatiuam Chriſtianæ diſciplinæ.

67 Adhuc replicabis. Suppoſita probabilitate alicuius opinionis, nequit Pontifex prohibere vſum illius, quia nullum ius humanum poteſt prohibere vſum opinionis probabilis, de quo agunt Authores, & præcipuè Magiſter Moya in ſuis ſelectis, tom. 1. tractat. de Sacrament. Pœnitent. diſp. 6. quæſt. 5. art. 2. ergò præcisè ex capite præcepti prohibentis praxim alicuius opinionis, ſi aliàs non ſit damnata, non probatur, ſubditos teneri tali præcepto obedire.

68 Reſpondeo, Summum Pontificem, & alios Superiores habere poteſtatem ad prohibendum aliquid, quod probabilitèr iudicant eſſe peccatum, vel ex illo poſſe oriri; contrarium enim eſſet deſtruere rationem ſuperioritatis, vt de ſe patet; quando autem ſunt duæ opiniones probabiles (non loquor caſu, quo ſit Decretum condemnans vnã illarum, ſed ab hoc me abſtineo, vt dixi num. 59.) & eſt præceptum Superioris prohibens operari iuxta vnam ex illis, illa, cuius operatio eſt probibita, manebit tantùm probabilis ſpeculatiuè reſpectu ſubditi, cui prohibetur, non verò practicè, quia in conſcientia non poteſt illam ſequi: & hæc doctrina præ oculis habenda eſt. Ad illud, quod dicitur nulllum ius humanum poſſe prohibere vſum opinionis probabilis, verum eſt pro caſu extremæ neceſsitatis.

69 Sed contra dicta in hac quarta ratione probatiua noſtræ concluſionis argues: Applicatio Miſſæ eſt actus internus, ſed in Eccleſia non eſt poteſtas ſupra actus internos, ergò non eſt poteſtas in Papa ad pro-

E hi-

hibendam applicationem vnius Missæ pro pluribus stipendijs acceptis: maior est euidens, minor communis Doctorum doctrina, quia cum actus internus sit occultus, & de occultis Ecclesia non iudicat, infertur non esse in illa potestatem supra actus internos, & consequentèr non obligare præceptum, de quo est sermo.

70 De materia huius argumenti agunt Theologi, mihi placet pulchra doctrina, quam tradit Magister Cardenas, vbi supra, dissert. 34. cap. 2. num. 19. distinguit enim duplicem legem, aliam purè directiuam, aliam directiuam simul, & coactiuam. Prima est, quæ præcipit obstringendo conscientiam, cuius obligatio solùm iudicio conscientiæ relinquitur, & hac lege obligantur Clerici, vt tenet communis sententia legibus ciuilibus concernentibus bonum publicum, respectu quorum leges ciuiles solum sunt directiuæ, & non coactiuæ. Secunda est, quæ præter præceptum imponit pœnam tacitè, vel expressè, quæ etiam dicitur lex comminatoria. Insuper ait Cardenas, quod lex coactiua est duplex, vna est coactiua coactione interna, alia coactione externa. Prima est, quæ præcipit aliquid sub pœna incurrenda ante sententiam Iudicis, qualis est censura latæ sententiæ, quæ incurritur patrato delicto. Secunda procedit, quando lex imponit præceptum sub pœna à Iudice infligenda exterius, &c. quibus suppositis, concludit efficacitèr prædictus Author pluribus rationibus, quæ videri possunt, probans in art. 3. in Ecclesia esse potestatem directam in actus purè internos, & in art. 4. demonstrat posse dari leges directiuas, sine eo quod sint coactiuæ metu pœnæ.

71 Igitur à fortiori multo melius tenendum est, Ecclesiam posse ferre leges coactiuas circa actus mixtos ex actu interno, & externo, imponendo præceptum, & pœna m: nàm quando Ecclesia præcipit actum

externum, indirectè præcipit actum internum, v. g. quando præcipit vt fiat contractus validus (qui contractus est actus externus) præcipit etiam animum se obligandi. Et Summi Pontifices damnarunt aliquas propositiones, quæ reverà sunt mixtæ ex actu interno, & externo. Alexander VII. damnauit hanc propositionem: *Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*; Et præcepit vt confessio fiat valida, quæ est actus mixtus importans confessionem externam, & contritionem internam. Innocentius XI. damnauit hanc propositionem, *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem*; Et præcepit dignam communionem. Communio enim digna includit manducationem externam, & dispositionem internam. Clemens VIII. damnauit *Opinionem asserentem licitum esse absoluere absentem*. Absolutio est actus mixtus ex prolatione verborum, & intentione absoluendi. Sic enim in nostro casu, applicatio Missæ duo dicit, & celebrationem externam Missæ, & actum internum applicationis, seu intentionis: potuit ergò Summus Pontifex præcipere Sacerdotibus, ne offerant vnum Sacrificium pro pluribus stipendijs.

72 Ex his facile soluitur argumentum, distinguẽdo maiorem Applicatio Missæ est actus internus. Purè internus, nego; mixtus ex interno, & externo, concedo maiorem, & distinguo minorem; sed in Ecclesia non est potestas supra actus internos; si loquaris de actibus mixtis ex interno, & externo, nego: si de actibus purè internis, subdistinguo. Non est potestas ad imponendam legem coactiuam, transeat; ad imponendam legem directiuam obstringendo conscientiam, nego minorem, & consequentiam; videas relatum Magistrum Cardenas loco citato, vbi vsque ad satietatem inuenies: & Dianam part. 8. tract. 1. resol. 50. & Donat.

tom. 3. praxis regul. tract. 7. quæst. 85. num. 3.

73 Superius dicta intelligenda sunt de accipientib us plura stipendia, siue ab vna persona, siue à multis. Consultò dixi, siue à multis, non obstante opinione illorum, qui dicunt, vnam Missam pro multis oblatam, tantùm valere singulis, ac si pro vno solo applicaretur; quia abstrahendo ab hac difficultate, circa quam, alij partem affirmatiuam, negatiuam alij tenent; semper dicendum est, non licère accipere plura stipendia à diuersis fidelibus, & vnum tantùm Sacrificium pro illis offerre. Primò propter contractum, ex quo oritur obligatio ex iustitia ad offerenda ea Sacrificia, pro quibus accepta fuerunt ea stipendia. Secundò, quia ex multiplicatione Missarum augetur, & multiplicatur fructus Sacrificij, quo priuarentur fideles, si vnica tantùm celebraretur Missa pro pluribus stipendijs; quippè vt notat Vazquez vbi supra, cap. 5. num. 17. cum hoc in opinione positum sit (suo tempore non erat Decretum Alexandri VII.) Sacerdos debet ex charitate ergà proximum, pro quo offert, tutioré partem eligere. Tertiò, quia vt idem docet, etiam si talis opinio esset vera, non esset sufficiens ratio, vt plura iusta stipendia à pluribus accipi possent (vnicum tantùm pro illis Sacrificium applicando) cum hæc non dentur pro valore Missæ, sed in subsidium sustentationis, quo semel assignato, iustitia non patitur, vt aliud vsurpetur.

74 Sed inquires primò, supposito non licere Sacerdotibus applicare vnum Sacrificium pro pluribus stipendijs acceptis, quando talia stipendia sunt integra, idest ea, quæ sunt lege taxata, quid dicendum est, si Sacerdoti non datur iustum stipendium? An tunc possit iungendo duo, vel plura stipendia, vsque ad quãtitatem iusti stipendij pro illis satisfacere celebrando vnam Missam?

Res-

75 Respondeo negatiuè, si Sacerdos promittat celebrare pro quolibet stipendio, quantumuis exiguo, vnam Missam; tunc enim ratione contractus tenetur adimplere promissum, licet non ratione stipendij. Et in hoc sensu intelligenda sunt verba Decreti Sacræ Congregationis iam relati sub Vrbano VIII. scilicet, *Plura stipendia, quantumcumque incongrua, & exigua.* Quod quidem defendunt communitèr recentiores, qui post tale Decretum scripserunt, vt Dubal refert, & sequitur vbi supra, videantur quæ diximus n. 13. & 14.

76 Inquires secundò, an Sacerdos, cui pro celebratione Missarum collatum fuit maius stipendium, quàm illud, quod conferri solet, iuxta statuta, aut consuetudinem, poſsit illas per alios celebrare, tribuendo illis consueta stipendia, reseruando sibi residuum?

77 Respondeo negatiuè, stando Decreto Alexandri VII. qui hanc damnauit propositionem, *Post Decretum Vrbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendij sibi retenta.* Ex qua damnatione, & prohibitione, constat quod non potest sequi præfata sententia damnata, sed vt improbabilis reijcienda; vnde Sacerdos nequit retinere sibi partem excessus, etiam si conferat alteri stipendium iustum, & præfixum: hoc damnat Summus Pontifex tanquam turpe, & detestabile lucrum, illudque prohibet: etenim Sacerdos, qui recipit stipendia pro celebratione Missarum, nullum ius habet ad retinendam sibi partẽ stipendij sine obligatione illas celebrandi: & si in notitiam fidelium hoc conueniret, minimè eleemosynas pro dicendis Misſis cõferrent, signum ergò est esse contra eorum voluntatem, Sacerdotem, cui Missæ celebrandæ traduntur, posse per alium satisfacere, collato illi minori stipendio (etsi iustum sit) alia parte stipendij sibi retenta.

Sed

78 Sed aduertit Dubal, quod si amicus det Sacerdoti duplicatum stipendium pro vna Missa celebranda, poterit hic alteri stipendium iustum conferre, & sibi retinere alteram partem, quando illud maius stipendium datur intuitu personæ, ratione amicitiæ, vel gratitudinis propter aliquod beneficium acceptum. Hic casus multoties occurrere potest, vt experientia docet: Nec tunc operaretur contra voluntatem dantis eleemosynam, siquidem illam alteri non tribueret; igitur his concurrentibus circunstantijs, amicitiæ, scilicet, vel gratitudinis, poterit Sacerdos retinere sibi partem excessus stipendij ipsi collati, neque in hoc caso iudico facere contra Decretum relatum, dummodò non det alteri minus stipendium, quàm quod est lege taxatum, & hac deficiente, consuetudine receptum.

79 Doctrinam huc vsque traditam, non solùm Sacerdotes Sæculares, sed etiam Regularium Communitates, & ipsi Regulares in particulari tenentur amplecti, illamque sequi. Primò, quia omnes rationes superius allatæ, probant etiam de Regularibus Sacerdotibus; tùm propter contractum, qui obligat ex iustitia; tùm quia stipendium Missæ non est assignatum pro integra sustentatione Regularium. Secundò, quia opinio nostræ conclusioni aduersa absolutè est damnata, sine aliqua limitatione. Tertiò, quia lex Pontificia prohibens applicationem vnius Missæ pro pluribus stipendijs, comprehendit Sæculares, & Regulares Sacerdotes, vt patet ex ipso Decreto: nec indultum aliquod Apostolicum pro Regularibus inuenitur, de quo late agit Fr. Ludouicus à Conceptione, tom. 1. exam. veritat. tract. 2. de restit. cas. 25. etenim num. 4. asserit: *Et testor Deum, nullum, quod sciam (& si foret, certò scirem) in mea Religione adesse priuilegium.* Et num. 28. in fine resolutionis, ait: *Hæc sunt ergò, amice Lector,*

quæ

quæ his temporibus vices Marisinagni efficere valent: nàm priuilegium nullum est, nec quoad hoc aliqua à Summo Pontifice concessa gratia. Sic illis ergo, qui absque fundamento dicunt nos, cæterasque Religiones habere Maremagnum, hoc est, priuilegium ad deferenda plura pro quolibet Sacrificio Missæ stipendia.

80 Sed dices, sunt aliqua Monasteria, quæ non habent media, quibus sustentari posint, quid ergo faciendum est? cum non sit aliud, nisi stipendia Missarũ.

81 Facile respondetur. Recurrendum ad eleemosynas petendas, quia mendicare proprium est Regulariũ; Deus enim sua manu altisima prouidebit, sicut de facto alijs prouidet. Doctor enim Mostazo vbi suprà, n. 15. ait: *Sed quid dicendum de Regularibus? in quo duplex investigatio facienda est, in primis quoad communitatem: secundò, quoad Religiosos particulares. Quoad primùm dicendum videtur minimè Fratres posse vnica Missa satisfacere pro pluribus stipendijs, quia suam necessitatem subleuant petitis eleemosynis, quibus indecorum non est mendicare, præcipuè Religionibus hoc institutum habentibus.* Debent ergò Prælati curare de illo numero Fratrum, quos commodè sustentare potest Conuentus ex redditibus proprijs, vel ex consuetis eleemosynis, vt statuit Concilium Tridentinum, sess. 25. cap. 3. ibi: *Vt in prædictis autem Monasterijs, & Domibus, tàm virorum, quàm mulierum, bona immobilia posidentibus, vel non posidentibus, is tantùm numerus constituatur, ac in posterùm conseruetur, qui, vel ex redditibus proprijs Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè posint sustentari.*

Dicta sufficiant.

Omnia S. R. E. correctioni subijcio.